Woostius

QVAEDAM
DE

ACVPVNCTVRA ORIENTALIVM
EX OBLIVIONIS TENEBRIS
AB EVROPAEIS MEDICIS NVPER REVOCATA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. CAROLO AVG. KVHLIO,

CHIRVRG. PROF. P. O. ORD. MED. GRATIOSI ASSESSORE,

PRO GRADV

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS VENIA

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XVIII. APRILIS A. R. S. MDCCCXXVI

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GVSTAVVS EDVARDVS WOOSTIVS

GRIMMENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

CVM TABVLA LAPIDI INSCRIPTA.

LIPSIAE

EX OFFICINA RICHTERIA.

VIRIS

PRAENOBILISSIMIS, IVRIVM CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS

CONSVLIBVS, PRAETORIBVS,

CAETERISQVE

SENATORIBVS CIVITATIS OSSITIENSIS

FAVTORIBVS AC PATRONIS

SVMMA PIETATE VENERANDIS

HAS PAGELLAS

MAXIMA

CVM OBSERVANTIA AC DEVOTIONE

D. D. D.

AVCTOR.

Cette opération jouit d'une grande faveur chez des peuples rénommés par leur sagesse et leur connaissances. Les Chinois et les Japonoïs l'emploient fréquemment et avec beaucoup de succès dans un grand nombre de maladies. *Pour être en usage parmi nous, il ne lui manque peut-être que d'être mieux connue.*

SABATIER, *de la méd. opérat. Tom. I.*

PRAEMONENDA.

Centum anni et amplius elapsi sunt, ex quo Kaempferus, celeberrimus sui temporis medicus, idemque Comitum Lippiensium archiater, primus inter Germanos de *acupunctura* exposuit, h. e. de ea malorum arthriticorum et rheumaticorum curandorum ratione, quae in eo est, ut partes dolentes acu modo magis modo minus profunde descendente perforentur, apud Asiae orientalis populos, inter quos ille vir per aliquod tempus ipse commoratus fuerat, adhiberi solita. Sed, quae haud raro esse solet rerum memorabilium oblivio, vix ante decem annos demum a Galliae et Britanniae medicis digna ea habita fuit, quam novo et accuratiori examini subjicerent, experimentisque instituendis explorandam censerent, unde tandem in nostratium aliquas ephemerides et promtuaria medica ejusdem repetita commemoratio et commendatio transiit, quae tamen potius debuerat a nostris, quorum ipse civis fuit Kaempferus, ad exteros perferri. Quam ob rem non supervacaneum esse cen-

sui, uti jam diu apud animum constitueram, ea quae cum maxime de hac regenerata medicina a variis nostri temporis medicis mandata scriptis in vulgus edita sunt, colligere, inter se comparare et in nexum quendam et ordinem collocata atque juncta in illo academico libello, quem, qui summos in arte medica honores ambiunt, scribere atque defendere debent ex academiae nostrae legibus, lectoribus modeste proponere. Ac primum quidem in illo libello de historia et origine hujus vetustae operationis, dein de recentiorum applicandi modo, tunc de efficacia ejus ac ratione, denique de variis in eadem explicanda atque defendenda sententiis, exponere idoneum visum fuit. Quum vero in colligenda ac disponenda hac materie adfluentibus undique ad hoc argumentum vel notationibus ac indiciis vel observationibus et approbationibus ita increvisset dicendorum copia, ut bene intelligerem, eam nonnisi diductiore sermone plane exhauriri posse, cui tamen in dissertatione inaugurali angustioribus limitibus circumscripta locus non datur: consultius putavi in hoc scripto tantummodo graviora quaedam de a c u p u n c t u r a exhibere, quibus observationes nonnullas a me ipso institutas adjicerem, in singulari libro vero, quem brevi tempore me editurum, si sic fata tulerint, polliceor, ordinem, quem paulo ante descripsi, sequi ac conservare.

In enumerandis nunc auctoribus, quibus usus vel quos secutus sum, ante omnia mihi liceat, *Profess.* et *Doctorr.* Kuehnio, Kuhlio, Kunzio, bibliothecae medicae custodi,

et Radio amicissimo pro humanitate ac liberalitate, qua mihi plures libros hoc consilio perlegendos lubenter commodarunt, gratissimum animum testari. Nec minus Schubkio, medico Berolinensi celeberrimo, obstrictissimum me sentio, qui mox laudandam Scheideri dissertationem cum opusculi mei argumento arctissime nexam et a me necessario inspiciendam, alia autem via vix acquirendam lubentissime mecum communicavit. Ac speraveram quidem, fore, ut in hoc Scheideri commentario multa eaque gravia mihique scitu exoptatissima inveniam, sed spes me fefellit: nihil enim nisi ipsissima ten Rhynii et Kaempferi verba repetita legi.

M. Paulus, relatio *de regionib. orientalib.* in Lib. III. (sub fine saeculi XIII.) in lingua Ital. script. — in Latin., Angl., Gall. et Batav. transl. Etiam in aliis collectt. typis exscript. reperitur v. c. in Grynaei *novo orbe*, in Reineccii *chronic. Hierosolymit.* et in Bergeron, recueil. Parisiis. 1634 etc.

M. Martini, China illustrata, Amstelod. 1659, in Fol.

Jac. Bontius, Histor. natur. Lib. V. cap. ultim. De Medicina Indorum. Lib. IV. Lugd. Bat. 1718 et 1642, in 12.

Cleyer, Specimen Medicinae Sinicae, Francof. 1662, in 4, et 1681 in 8.

Wilh. ten Rhyne, Mantissa schematica de acupunctura ad dissertationem de arthritide. Lond. 1683, p. 145 et p. 183. et in libello ad histor. med. Japoniae. — Halleri bibl. med. pr. III. p. 256 item Philosophical transactions, No. 148.

St. Blancard, Eigentliche Abhandlung von dem Podagra und der laufenden Gicht, nebst des Herrn W. ten Rhyne Beschreibung, wie die Chinesen vermittelst des Moxa-Brennens und güldenen Nadelstechens alle Krankheiten, insonderheit aber das Podagra curiren. Leipzig, 1697, *S.* 316.

Wedel, diss. de puncto medico. Jen. 1701.

(Adrian) Helvetius, diss. de puncto. Lugd. Bat. 1709, 4. (praes. Bidlovio). confer. Halleri Bibl. chirurg. I, 536.

Engelb. Kaempfer, Amoenitatum exoticarum politico-physico-medicarum fasciculi V, quibus continentur variae rationes, observationes et descriptiones rerum Persicarum et altioris Asiae multa attentione, in peregrinationibus per universum Orientem, collectae. Lemgoviae, 1712, in 4. Observ. XI. p. 582 et Observ. XII. p. 601.

Histor. natur. Japoniae supplem. 3 et 4.

Geschichte und Beschreibung von Japan, aus den Original-Handschriften des Verf. herausgegeben von Chr. Wilh. Dohm. 2 Bde. Lemgo, 1777 und 79, in 4. Bd. 2, S. 423. Tab. XLIII.

Amatus Lusitanus, Cent. I. n. 38. V. n. 90. VI. n. 31. VII. n. 58.

Zwinger, theatrum vitae humanae. p. 374.

Nenter, fundamenta medicinae Tom. I. Praxis specialis. Argent. 1718. p. 165.

L. Heister, Institut. chirurg. Norimb. 1750, 4. Tom. 1. Cap. XVIII. p. 453. Tab. XII. fig. 6. 7.

J. Bapt. du Halde, description de la Chine. 4 Vol. 1735, in Fol. Rostock. 1747, in 4.

Juch, Diss. Monita practica circa puncturam. Erf. 1755.

Halleri, Disput. ad morborum historiam et curationem. Tom. VI. p. 766. Lausannae, 1758. (Fürstenau et Paxmann spicilegium observationum de Indorum morbis et medicina. Obs. XV.)

Lettres édifiantes et curieuses en 12. (30 Vol.) Paris de 1717—1773 anc. édit.

Dujardin, Histoire de la chirurgie depuis son origine jusqu'à nos jours. Paris, 1774. 4. Tom. Ier. p. 95.

Woyt, Gazophylacium medico-physicum. Lips. 1784, edit. XVIIma.

Encyclopédie médicale. Tom. I. p. 184.

Modern part of an universal History, from the earliest account of time. Bd. 9.

Thunberg, Voyage au Japon, par Langlés et La Mark, Paris, 1796.

P. Sue, Mémoire sur l'état de la chirurgie à la Chine, suivi d'une correspondence à ce sujet avec un Missionaire de Pekin, in: Recueil périodique de la Société de Médecine (Vendémiaire et Brumaire an IX.) Octobr. Novemb. 1800.

Vicq-d'Azyr, de l'acupuncture, Oeuvres de V.-d'A. Sciences physiologiques et médicales, par Jacq. L. Moreaux. Tom. Vme. p. 133-39. Paris, 1805. 8.

Der Freimüthige. 1806, *August. S.* 154.

Dictionnaire des Sciences médicales. Paris, 1812. Tom. I. p. 149. (Bedor) et Tom. XXXIV article Moxa (Larrey).

Caeterum conferenda sunt: *Allgemeine Historien der Reisen. Memoiren über die Chinesen. v. Krusenstern's Reisen um die Erde. — Pallas, Reisen durch verschiedene Provinzen des russischen Reichs. IIIr Band. pag.* 41. quem citeriorem citavit Plouquet in: literatura medica digesta, nil vero quam Ostiacorum usum scarificationum et agarici betulae (moxae Orientalium more) in partibus dolentibus inustionis, continet.

Berlioz, Mémoires sur les maladies chroniques, les évacuations sanguines et l'acupuncture. Paris, 1816. p. 296. confer. Bulletins de la Société médicale d'émulation. 1816.

Béclard, sur l'innocuité de la piquûre de vaisseaux. 1816.

A. P. Demours, Journ. complémentaire du diction. des Sc. med. Tom. II. p. 367-68. 1818.

Première et seconde notice sur l'acupuncture. Journ. général d. Méd. Tom. LXVI.

Notice sur l'acupuncture, et sur une nouvelle espèce de ventouse armées des lancettes. Journ. univers. des Scienc. méd. Paris, 1819. Tom. XV. p. 107. Tom. XXXVII. p. 123. Tom. XXXVIII. p. 105.

Brétonneau, Journ. univers. des Scienc. méd. Paris, 1819. T. XIII. p. 35.

Haime, Notices sur l'acupuncture et observations médicales, sur ses effets thérapeutiques in: Journal univers. etc. Paris, 1819. T. XIII. p. 28.

Journal général de Médecine. Tom. XIII.

Annales de la Société de Médecine pratique de Montpellier. Série 2. Tom. 3. p. 177.

Tweedale, Journal univers. etc. Tom. XXXVIII. p. 106. 7.

Fretau, Traité des émissions sanguines etc.

Dictionnaire de Médecine en XVIII vols. Vol. II. Mois de Juin 1821. (Béclard.)

J. M. Churchill, A treatise on acupuncturation; being a description of a surgical operation originally peculiar to the Japonese and Chinese, and by them denominated Zing-king, now introduced into european practice with directions for its performance, and cases illustrating its success. London, 1821.

The London medical Repository and Review, April, 1822. March, IV. 1823. Maj, 1823.

Julius und Gerson, Magazin der ausländ. med. Literat. Jahrg. 1822, *Heft* 3. epitomen continens commentar. Churchillii.

J. Wagner, J. M. Churchill, Abhandlung über die Acupunktur, aus dem Engl. übers. Mit Vorrede und Zusätzen herausgegeben von J. B. Friedreich, Prof. d. Mediz. Bamberg, 1824. *Vorrede S. XVI, Text S.* 44.

M. R. Charbonier, Traité de l'acupuncture ou Zing-king des Chinois et des Japonais; ouvrage destiné à faire connaître la valeur médicale de cette opération, et à donner les documens nécessaires pour la pratiquer par James Morss Churchill, trad. de l'angl. à Paris 1825. 8.

Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch prakt. Aerzte. Leipzig, 1825. *Bd.* 33. *St.* 1, *v. Churchill, Jac. Morss, über die Acupunktur. S.* 153-186.

J. Larrey, Recueil de mémoires de Chirurgie. Paris, 1821. 8.

v. Froriep, Notizen aus dem Gebiete der Natur- u. Heilkunde. 1822. *Bd. II. No.* 17. *S.* 263. *Bd. V. S.* 43. *Bd. VI. S.* 350. *Bd. X.* S. 16. *Bd. XIII. S.* 169.

Farina, de Neuralgiae facialis curationibus, dissert. Bonn. 1822.

Ch. B. Zang, Darstellung blutiger Operationen. 1822. *Th.* 3. *Abthl.* 1. *S.* 290. *Tab.* 1. *Fig.* 1 *und* 2.

Sabatier, de la Médecine opératoire, nouvelle édit. par Sanson et Bégin. Paris, 1822. Tom. I. p. 191-96.

The London medical Repository and Review Novbr. 1823. (Finch.)

Pipelet (médecin à Tours), Observation de maladie convulsive, avantageusement modifiée par l'acupuncture; Journal complémentaire etc. T. XVI. Cah. 62e. p. 186. 1823.

Gräfe und v. Walther, Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Berlin, 1824 *und* 25. *Bd. V. St.* 3. *S.* 552. *Tab.* 4. *Fig.* 8. *und St.* 4. *S.* 721. *Bd. VI. St.* 2. *S.* 371. *Bd. VIII. St.* 2. *S.* 339-45. *(Michaelis.)*

Meyranx, observations sur l'acupuncture faites à l'hôpital de la Pitié, sous les yeux de M. Bally, et quelques reflexions sur sa manière d'agir. Archives générales etc. Janvier 1825, p. 149-151. Février, p. 231-49. Mars, p. 381-96.

Pajot, observations de nevralgie, guèri par l'acupuncture. Archiv. génér. Avril. 1825. Tom. VII.

Archives générales. Mai. 1825.

Revue médicale française et etrangère et Journal de clinique de l'hôtel de Dieu et de la charité. Janv. 1825. p. 75. Févr. p. 309. Mars, p. 471. (Béclard.)

A. Lacroix, (médecin à Montauban) observations sur l'acupuncture recueillies à l'Hôtel-Dieu de Paris, dans les services et sous les yeux de M. Husson, pendant le première trimestre de l'année 1825. Journ. univers. des sc. méd. Tom. XXXVIII. 114e Cah. Juin. 1825.

Bulletins des Sciences médicales. 1825.

Harless, Rhein. Westphäl. Jahrb. für Medizin und Chirurgie. Hamm, 1825. *Bd. IX, Stck.* 2. — continens praescriptionem accuratiorem editoris. Bd. X. St. 2. *Art.* 7 *und* 8. *Ersterer vom Kreisphysikus Dr. O. Seiler in Höxter, S.* 138; *letzterer vom Dr. Günther zu Cöln, S.* 142. epitomen continet chirurgiae Sinensium secundum P. Sueii relationem.

Julius und Gerson, Magazin u. s. w. Bd. VII. S. 101.

Pelletan (fils), Notices sur l'acupuncture, son historique, ses effets et sa théorie d'après les expériences faites à l'hôpital Saint-Louis. Paris, 1825. — Confer. *Hufeland's Bibliothek der prakt. Heilkunde. Mai,* 1825. — *Rust's krit. Repertor. Bd.* X. *Heft* 1. *S.* 155.

Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für prakt. Aerzte. Leipzig, 1825. *Bd.* 33. *St.* 1. S. 111. *Pelletan, der Sohn, über die Acupunktur. S.* 98-139.

Sarlandière, Mémoires sur l'électro-puncture, considérée comme moyen nouveau de traiter efficacement la goutte, les rhûmatismes et les affections nerveuses, et sur l'emploi du Moxa japonaise en France; suivi d'un traité de l'Acupuncture et du Moxa, principaux moyens curatifs chez les peuples de la Chine, de la Corée et du Japon; ornées de figures japonaises. Paris, 1825. Confer. *v. Froriep, Notizen u. s. w. Nr.* 202, *S.* 164.

Morand dissertation sur l'acupuncture et ses effets thérapeutiques suivi d'une série d'observations recueillies sous les yeux de M. Jules Cloquet. (thèse No. 25.) Paris, 1825. 4. p. 56.

Dantu quelques propositions sur l'acupuncture, (thèse No. 60.) Paris, 1825.

Horn u. M., Archiv für mediz. Erfahrungen. Mai und Junius 1825. *S.* 90.

C. A. Ludov. Scheider, Dissert. de acupunctura Berolini. Maj. 1825. p. 32. 8. Confr. *Hufeland, Journ.-Bibl. Jul.* 1825.

Edinburgh medical and surgical Journal. Jul. 1825.

Georg. *Aug. Richter,* 1r *Supplementband zur speziellen Therapie Aug. Gottl. Richter's zu Göttingen. Berlin,* 1825. 8. Etiam sub titulo: *Neueste Entdeckungen, Erfahrungen und Ansichten in der prakt. Heilkde. S.* 410–15.

J. Hergenröther, Grundriss der allgemeinen Heilmittellehre, oder die Physiologie in ihrem Einflusse auf die Heilmittellehre. Sulzbach, 1825. 8. *S.* 254.

Henry, précis descriptif sur les instrumens de chirurgie anciens et moderns, avec planches. Paris, 1825. p. 26.

Ant. Carraro, Annali univers. di medic. 1825, recept. in Journ. univ. des Sc. méd. Tom. XXXIX. 117e Cah. Septbr. 1825. p. 361–62.

Révue médicale Septbr. 1825, p. 460 etc. e London med. and physic. Journ. ejusd. ai.

Gautier de Claubry, Analyse de quelques écrits relatifs à l'acupuncture. Journ. génér. de méd. No. 341. p. 99–124.

Praeterea in libro a Gallo medico, nomine Fizeau, edito, caput de acupunctura agit; itidem medicus Parisinus Dugès observationes de acupunctura in rheumatismo et neuralgiis summo cum fructu adhibita, institutas, in monogramma promulgavit.

Introductio.

Acupuncturae in variorum organorum affectionibus morbosis applicatio, quae neque Arabicis, neque Graecis neque Romanis medicis nota fuisse videtur, pari aetate gaudet, qua *moxae* usus; ab antiquissimis enim inde temporibus moxae combustio et acupuncturae subsidium praecipua erant Japonicae et Sinicae medicinae capita; inustionis beneficio omnem fere dolorem fugare tentarunt illae gentes, antiquitatis gloriam prae caeteris perpetim aucupantes. Cognitionem hujus methodi et descriptionem accuratiorem duobus praecipue medicis debemus, quorum alter Guilielmus ten Rhynius apud Batavos, per aliquod tempus in Japonia et Batavia versatus, *mantissam* suam *schematicam de acupunctura* scripsit Bataviae anno 1678 eamque edidit Londini 1683, alter popularis noster Engelbertus Kaempferus, qui post reditum e peregrinationibus per universum Orientem susceptis, usum hujus operationis nobiscum communicavit. Medici tamen tunc viventes vilis momenti ac ponderis aestimavisse videntur hanc artis salutaris locupletationem, fortassis quod, qui mentionem hu-

jus rei fecerant, eam nimiis extulerant laudibus, quod quidem medicis Europaeis sollertioribus suspicionem injecit, ita ut multa de hac re narrata fabulosa ac non satis digna, quae iterum legantur, habuerint; praesertim quum transportata esset omnis illa medendi ratio e regione, quam ipsam tunc temporis, tanquam terram incognitam et fabulosam, dubiis conspicere solebant oculis. Quid multa? rem totam sine exploratione quasi ex Orientalium phantasiae ubertate progenitam deriserunt planeque repudiarunt testante Heistero, qui ita refert: „at vero quum Europaeorum, quod ego „sciam, nemo fere istam curandi artem exerceat; imo vero tan„tum non omnes quasi pestiferam (!) istam horreant, non est quod „prolixius eam hic describere satagamus.“ — Rei jam satis fecisse sibi videbantur, ubi naturae scrutatorum more, qui plantae exoticae in nostras regiones ipsius proventui non aptas translatae, semina saltem, particulas siccatas, imagines e. s. p. conservare student, collectaneis suis ac historiae artis medicae simul cum instrumentorum iconibus demandarant, ita posteris comprobaturi, ipsis certe non ignotam fuisse hancce methodum. Nihil effecerunt commendationes ten Rhynii nec Kaempferi, nihil egerunt scriptores historiae medicae, in quibus serius Vicq-d'Azyr inclaruit, immeritae oblivioni eam eripere contendentes; mansit vetusta opinio, acquieverunt longe plurimi in eo, ut rem duntaxat commemorarent interdum, eam in medio relinquentes, quum veram ipsius vim instituta ejus applicatione nusquam cognovissent.

Primus vero Berliozius, Franco-Gallorum medicus quidam, hujus medelae memoriam retinuit atque suis ipsius experimentis adjutus comprobavit, acupuncturae salubritatem, quam laudatores celebraverant, prorsus recte se habere: attamen ei superanda adhuc erant obstacula varia, opinio inveterata atque praejudicata re-

fellenda, dubitationes exemplis redarguendae atque convincendae. Quum tandem Beclardius multis et variis observationibus circa laesionem vasorum per punctionem prolatis, ultimam sustulisset difficultatem, Berliozius tractatum (jam anno h. s. undecimo conscriptum) anno decimo sexto in lucem edidit. Nunc res in scenam producta mox imitatores excitavit, Demoursium, Cloquetium, Pelletanium filium, Sarlandierum Parisinos, Bretonneauium et Haimium Turrones medicos, qui eam tentarent atque probarent.

Nihilo tamen minus operatio nostra, etsi Berliozius collegarum animum ad eam adverterat, quodammodo in oblivionem abducta, certe minus in usum communem ac generalem vocata, quin plane neglecta fuisset, nisi ephemeridum scriptores singula de sanationibus hujus remedii ope feliciter peractis exempla relata, et experimenta ad instruendos artis Hippocraticae discipulos in quibusdam nosocomiis instituta, in memoriam revocavissent.

Interea ad Britanniam usque emanaverat Berliozii fama et ab Anglicis medicis, omnia quae artis fines proferre queunt, alacriter amplectentibus, cognitio hujus operationis restauratae, quae in patria nova denuo negligi spernique coeperat, avide arripiebatur. Ac primus inter illos quidem Scottius eam exercuit, cujus felici in ea instituenda successu conspecto Churchillius brevi post commotus fuit, ut eam in praxin Britannicam introduceret, simulque sententias ac experimenta aliorum medicorum una cum suis ipsius observationibus in illo libello laudato eruditorum examini subjicere constitueret.

Haec autem Britannorum diligentia in examinando artificio chirurgico, a Francogallicis medicis revocato et denuo commendato horum iterum studia excitavit effecitque ut renovata inter Francogallos fervore omnis haec res agitaretur.

Julii Cloquetii exploratio trecentis et amplius observationibus confirmata, accuratior indicationum expositio, probabilior theoriam exponendi ratio, nova erant ad acupuncturam tentandam incitamenta. Ingenii acumen et cognoscendi studium impulit tandem Cloquetium et Pelletanium ut eam cum materie galvanica, nec non Sarlandierum, ut cum electrica conjungere eam et augere studerent.

Hinc jure sperare licet, his disputationibus et examinibus rem obscuram in clariore luce positum iri, ut tandem aliquando certo judicare liceat, utrum huic artificio pretii aliquid sit statuendum, nec ne?

Acupunctura Orientalium.

Operatio chirurgica, de qua nobis sermo est, praecipue exercetur in Japonia et Chorea provincia permagna Sinae confinis ac Tartariae Sinicae. Mutuati sunt teste Martinio Japones hanc medendi rationem a Sinensibus medicis, qui, si insuper moxam applicandi artem callent, Sinico idiomate appellantur *Xinkieu*, uti operationi ipsi nomen est *Zinking*, in quorum officinis medicis, auctoribus ten Rhynio et P. Sueio prostabant effigies ligneae distinctis variegati coloris punctulis instructae, singula loca cum moxa urenda tum acu pungenda indicantes, quas primum superstruxit medicus idoneus ac peritus nomine *Oyt*, sub *Sio-noio*, dynastiae *Sionoyo*. Hisce relatis consentit Sarlandierus, qui nuper hausit e manuscripto libro medici Batavi Titsingii, qui per XVIII annos in Japonia versatus, multam adhibuit operam horum populorum medicinae ita pronunciantis: ad comprehendendam

acupuncturae artem usi sunt Japones statua e metallo ad humanam similitudinem conformata, quae lege artis in superficie innumera habet foraminula, loca designantia, ubi singulis in morbis acus est infigenda. Quum imagines priores domicilia medicorum acupuncturam exercentium significarent, hae, quae ad instruendam hujus artis ἐγχείρεσιν comparatae esse videntur, charta glutinata obductae sunt, ut foramina non statim invenirent, quando necessaria cognitione ad illa foramina accurate detegenda essent privati. Qui nempe in illis regionibus licentiam artis medicae exercendae rite capessere cupiunt, cum in applicatione acus, tum in indagandis illis locis, in quibus operatio est instituenda, ita versati esse debent, ut in quovis indicato morbo protinus in justum foramen, neque praescripta mensura profundius, acum tuto ac dextre inserere, simulque totam agendi rationem et decursum accurate explicare queant. Si candidatus mandata praestat, quibus raro ante V ad VI usque annos satis facere valet, quippe quum medici Japonici acupuncturam tanquam operationem summi ponderis summamque cautionem postulantem respiciant, cujus ineptam adhibitionem haud raro gravissima mala sequi possint, tunc demum dignitatem *Kiu-day* et cum illa magnam Hippocratis artem exercendi nanciscitur veniam. Quae imagines vel ex ligno vel metallo vel etiam e charta multiplice conglutinata *Osazae* conficiuntur optimae; varia habent loca, quibus secundum artem vel acupunctura vel moxa est applicanda, punctis, lineis vario modo coloratis in connexum redacta, ut series et ordo designetur; nominantur ***Tsoë-bosi*** i. e. sacerdotis figura, quia ***Tsoë*** *figuram*, ***bosi*** vero *sacerdotem* significat, quippe quum sacerdotes, aeque ac in illis figuris observatur, gentico more caput ad cutem tondere soleant.

Japones tanti ponderis hanc ducunt acupuncturam, ut ejus ordinatio et administratio singularem constituat artem chirurgicam, ac singulorum medicorum munera ac partes. Dividuntur quidem hi medici in duas classes, quarum prior secundum Kaempferum *Tentasij*, sive *tangentes* comprehendit, i. e. sedem vel doloris vel morbi manu explorantes, ac instituta exploratione locum indicantes, ubi acupunctura suscipienda sit: leges vero eorum ac praescripta accurate sequi debent secundae classis medici, *Faritatte* (i. q. significat in Japonica idem quod in Sinica lingua *Xinkieu*) i. e. *acupunctores*, ab hisce igitur operatio ipsa in indicato loco perficitur. Quamvis varii sunt morbi, quos Asiatici acupunctura tollere intendunt, eam tamen praecipue applicant, Kaempfero teste, saepissime et tanquam unicum et peculiare remedium in colica Japonensium endemica, *Senki* nominata, quae affectio gravissima ipsis advenis non parcet, praesertim si immoderate utantur potulento *Sakki* i. e. cerevisia ex oryza cocta. In ista colicae forma acus infigitur inter umbilicum et scrobiculum cordis, saepe vero vel propius vel remotius ab illis commemoratis regionibus ad exploratoris jussum et singulare praeceptum, ex cujus accurata notatione, quam profunde in carnem acus sit injicienda, secundus operationis eventus pendet: plerumque subito, veluti incantata cessant illius morbi tormina.

„Novem punctiones, ita refert Kaempferus, in epigastrio ternaria serie et ad quadrati parallelogrammi normam instituunt, intercedente inter singulas punctiones (in homine adulto) gemini pollicis transversi spatio. Hi ordines in artis punctoriae schola distinctionis gratia propriis donantur praeceptis et nominibus. Primus *Sjoquan* dictus, proxime sub costis instituitur; alter *Tsjoquan* nuncupatus, medium sibi

„locum vindicat inter umbilicum et cartilaginem mucrona-„tam; tertius *Gecquan* dictus, semiuncia supra umbilicum „absolvitur.“

Descriptio instrumentorum Japonensium iatro-technicorum in usum acupuncturae.

Acus, qua pungitur, solummodo ex auro vel argento purissimo est confecta*), omnis cupri expers et ductilis, tenuissima, perpolita, singulari arte indurata, ne in corpus adacta incurvescat, quo ex Japonensium opinione nil magis metuendum est: „quam quidem artem, ait Kaempferus, nec quisque callet, nec qui callet acus tamen fabricari audet, nisi imperatorio diplomate nactus licentiam.“ Duplicis ad formam et materiem structurae sunt acus: nonnullae ex utroque metallo promiscue confectae; longitudine trium vel quatuor cum manubrio pollicum, tenuitate mediocri, apice tenuissimo, manubrio in cochleae modum circumflexo praeditae. Retineri solent in manubrio cavo malleoli ad hancce operationem simul pertinentis, ex uri cornu vel ebore vel ligno quodam duriori perpolite constructi, ipsa acu paullo longioris, capite orbiculato et compresso, cujus pondus incluso plumbo augetur, alterutro latere, quod pulsui dicatur, aluta violacei coloris obducto, ne ab acu in feriendo desiliat, vel ad eundem finem innumeris ostiolis caecis, digitalis more instructi, ita aptato, ut utroque latere singulas recipiat acus. Veruntamen ex Sarlandieri relatione hanc methodum serioribus temporibus Japones re-

*) Kaempfer l. l. pag. 587.

liquerunt dolorificam, quum acus semper quadam vi intruderetur, solummodo retinentes usum argentearum acuum, quae forma ac longitudine a commemoratis parum differunt, citharoedicae chordae tenuitate, manubrio nonnihil denso, brevi, et in longitudinem striato. „Recondi solent, ait Kaempferus, incerto numero plusculae intra capsulam oblongam, quadratam, ligneam, vernice exterius, interius panno intonso obductam, cujus eminens lana leviter insertas recipit.“ Vocantur hae acus, uti Kaempferus refert, generali nomine *Uutsbarri* (i. e. *acus tortilis*), acus vero ulterius descripta singulari nomine *Finéribarri* et si in earum usu, quae (quod obiter sit dictum) nunc usitatior est, aeneus canaliculus adhibetur, *Fudabarri* i. e. *acus canaliculata* salutatur. Rudolphus*) acum hisce verbis descripsit: acus capitulum vel manubrium ex argento erat confectum, formam duorum anguiculorum sursum se mutuo convolventium describens, quorum concurrentia capitula incudis instar malleolo inserviunt. Acus acutissima crinis tantummodo crassitie manubrio ferruminata (*eingelöthet*) erat, neque e purissimo auro indurato, neque ex argento, sed e chalybe valde indurato, et rore subcaeruleo inducta (*blau angelaufen*), tam rigida, ut flectendo statim frangeretur, una cum manubrio longitudinem trium pollicum parum excedens. Praeterea commemorat ille vir instrumentum, cujus hucusque peregrinatorum vel itinerum descriptorum nullus adhuc fecit mentionem, quod quidem prorsus simile est cultro rasorio alutariorum rotundo sed paullo minus, e metallo albo-flavido constructum, margine subacuto et in medio

*) Chirurgiae et artis obstetriciae professor Erlangensis, consiliarius aulicus, antea medicus nauticus societatis Indicae orientalis, qui testis oculatus talis operationis fuit simulque ejusmodi acum cum malleolo sibi comparaverat eamque in collectionibus suis memorabilium exoticorum adservavit.

foramen rotundum habet, quo facilius apprehendi possit. Conjungere solent Japones hoc instrumentum cum acubus, si vehementia dolorum in illa colica ad summum gradum increvit, ejusque ope tergum corrodunt et radunt atque hoc modo suas sequentes regulas in eodem cum summi Hippocratis *) conveniunt sententia: „dolore vehementiore alterum obscurari."

Variae sunt acupunctionis adhibendae leges: quando acui malleolum addunt, acum manu sinistra tenent, cuspidem inter digiti medii *apicem* et *indicis pollicisque* comprehensam admovent loco pungendo, quem a nervis esse remotiorem tactu praemisso cognoverant, tum malleo dextra recepto acum uno aut gemino pulsu per integumenta communia adigunt, hinc deposito malleo, manubrium acus intra digitorum primorum apices rotando, cuspidem ad praescriptam ex lege artis ad lati circiter digiti altitudinem ingerunt, rarius eam excedentes. Alio modo acus infligitur contorsione indicis pollicisque, vel etiam leni indicis supra medium digitum positi in acum impulsu, priusquam acus contorquetur. Si pulsando vel mallei vel digiti ope instrumentum per externam cutem quam citissime transfigere intendunt: id hoc ab iis fit consilio, ut dolor, quantum fieri potest, celeritate punctionis mitigetur. Tertia denique restat methodus, ita administrari solita, ut in plicam cutis in parte pungenda elevatam et alterius manus digitis extremis comprehensam dextra acus immitteretur, qua crediderunt optime hoc effectum iri, ut ita compressa cutis eaque torpidior reddita acum leviter ac fere absque ullo dolore accipiat. Acus pro re nata profundius et, si TEN RHYNIO fides habenda est, interdum ad tres quatuorve pollices immittuntur ipsi ventri gravi-

*) Aphor. Sect. II. Aph. 46.

darum usque ad fetum ipsum forsan nimis inquietum et matri adeo dolores cientem.

„Uterum gravidae pungito (refert ille pag. 185) ubi fetus „ante justa partus tempora nimiopere se movet, unde hor„rendos sentit mater dolores, ut saepe in discrimine vitae „versetur: pungito autem fetum ipsum acu longa et acuta, „ut punctura terrefactus ab enormi et periculi pleno motu „desistat."

Leges artis punctoriae locum, ex quo dolor originem duxit, idoneum indicant, quo cum ratione agitur et ad quamnam usque profunditatem. Acus in affecto loco ad respirationem unam et alteram KAEMPFERI auctoritate, TEN RHYNII vero ad triginta (inspirationes et exspirationes una comprehensas) manet immissa,

„si facile ferat aeger: sin minus, eximatur denuo et de novo „iteretur punctura, vel ter vel quater, quandoque etiam quin„quies sexiesve, si facile ferat aeger, et morbus sit tenax."

Detineatur acus, ait SARLANDIERUS, in parte puncta per brevius aut longius temporis spatium, interdum medici Japonenses acum repente infigunt et aeque retrahunt, nonnunquam illam subito retractam denuo in eandem punctiunculam inserunt, ita operationem saepius repetentes modo ad eandem altitudinem usque, modo etiam in quavis iteratione profundius pungentes. Si in abdomine operationem instituunt, respirationis motibus, nempe inspirationi profundius imprimendo, exspirationi leniter retrahendo, obsequuntur.

Cubantibus aegris transversali ac propemodum cum integumentis horizontali, praeterea verticali, quam quidem praeferre solent, directione acum adigunt.

Acicula exemta locum digito premunt, non quo sanguinis profluvium retineant, quod plerumque non habet locum, sed, quo flatui incluso maligno, quo aeque ac vaporibus dolores et fere omnes affectiones morbosas effici opinantur, (quae iterum est doctrinis Coicis — lib. de Flat. — haud dissimilis opinio) faciliorem exitum praeparent.

Praeter illud *Senki*, quod acupunctio portento similis depellit, Indi in omnibus iis affectionibus, quibus medentur moxa et praeprimis in iis hominibus, qui robustiori gaudent constitutione, (quum in gracilibus moxae praeferant adhibitionem) et quidem eo feliciori eventu, quod ejus ope ad laticem usque mali pervenire queant, et quod hoc remedium minorem quam moxa afferat dolorem, adhibent puncturam; non in capite solum, sed in ipso quoque pectore, ventre, brachiis et cruribus, pluribusque in aliis corporis partibus eam instituunt. Praecipue in hisce affectionibus: uti capitis dolore, sopore, vertigine, quibus in capitis vitiis vel ad ipsum cranium usque acus infigitur, in corporis a crapula perturbatione, oculorum lippitudine ac suffusione, apoplexia, spasmo cynico, emprosthotono, opisthotono, convulsionibus in universum, epilepsia, gravedine et rheumatismo, febribus intermittentibus aeque atque continuis, melancholia, hypochondria, intestinorum lumbricis et dolore ex iisdem orto, diarrhoea pariter ac dysenteria, cholerae morbo, inprimis vero passione colica aliisque ex flatuum collectione natis intestinorum malis, lassitudine spontanea, arthritide ac denique gonorrhoea, referente ten Rhynio. Contendunt etiam efficacem esse hanc operationem in syncope et paralysi. Videmus igitur, adhiberi acupuncturam fere omnibus in morbis et praecipue in illis, quos ten Rhynius con-

sentiente Vicq-d'Azyrio in has quatuor classes primarias redegit, nempe:

1) in affectionibus soporosis, 2) convulsivis, 3) doloribus variis, proprie sic dictis, 4) fluxionibus v. c. rheumatismis, catarrhis, epiphora e. q. s. r.

Quid quod ita augent malorum hac peculiari arte curandorum numerum, ut qualemcunque morbum, moxae et acupuncturae efficaciae salutari resistentem, insanabilem declarent esse habendum. Attamen hoc nostrum remedium in illis affectionibus, quae inflammationis signa prae se non ferunt, et in iis organis, quae sceleton proxime circumdant et obducunt, maxime locum habent, uti in doloribus rheumaticis, arthritide e. s. p. plurimum praestitisse experientia comprobatur.

Quo gravior est morbus, eo profundius infigenda est acus, itidem in iis, qui pinguiores sunt et carnosi, in adultis et senibus, e contrario minus profunde in teneris, adolescentibus et omnino corporibus juvenilibus. Porro vitanda est laesio nervorum majorum vasorumque sanguiferorum ac partium tendinosarum, ubi leviuscule tantummode imprimenda est acus. Durante digestione, in vehementibus intensionibus, ac ubi aegrotus jejuno est stomacho, vel valde transpirat, nec non ubi animi pathematibus majorem in modum est commotus, acupunctura minime suscipienda est.

Enarrat ten Rhynius, ut fidem dictis suis conciliet, sub corollarii fine hancce historiam:

„Noster in aulico itinere conductor, Japonensium imperatoris „miles praesidiarius, holocaustum egressus admodum incalue„rat, sedandae siti gelidam bibens affatim; unde stomachum, „sine ullis laterum molestiis, ingens prehendit dolor, qui per „aliquot dies aegrum cruciaverat, quum insimul ob nimiam cibi

„potusque ingluviem, tum ob maris insuetudinem, unde „nausea crebra vomitusque, quibus medendis primum vinum „Japonicum cum zinzibere excalefactum sumsit, sed sic do„lorem non sustulit, culpans reclusum pertinaciter flatum. „Quocirca ad acupuncturam devenit, quam hunc in modum „(et ex eo de reliquis judica, Lector!) me praesente sibi ipse„met administravit: dorso incubans sinistrum abdominis latus „supra pylorum quatuor diversis in locis acum (cujus cuspi„dem eum in finem primorum digitorum apicibus circumspecte „continebat) adegit, quam dum malleolo feriebat, (ipsius enim „duriuscula cutis erat,) comprimebat anhelitum, quum autem „ad pollicis fere latitudinem adacta esset acus, tortuosum il„lius manubrium circumvolvit; pertusum acu locum digitis „pressit; extractam vero acum nullus sequebatur sanguis, le„vissimo puncturae indicio residuo: hinc levatus curatusque „evasit.“

Neutiquam autem uti Fürstenavius, Heisterus et nonnulli alii volunt, acupunctura a Sinensibus ad remedia sanguinem detrahentia referebatur. Confirmatur etenim ipsius Cleyeri *) narratione, populis illis sanguinis missionem non fuisse usitatam, eosque variis ex causis a phlebotomia quasi abhorruisse, tum quoniam putabant, nimium sanguinis calorem hac operatione non magis temperari, quam aquae bullientis fervorem, si partem aliquam subtraxeris, tum quoniam simul cum morbo, hac via nullo modo vere sanando, etiam vires corporis necessarias diminui atque frangi posse timebant. —

*) l. l. pag. 72. edit. Francof. 1662, in 4.

Fürstenavius autem commemorat, ab Indis vitri fragmenta ad certam sanguinis copiam eliciendam, malleoli ope in corporis partes intrudi solere.

De origine acupuncturae Berliozius conjecturam satis probabilem nuper tradidit: „gentes zonam torridam inhabitantes, inquit, nudi olim in proelia incedebant; ut vero notas haberent, quibus se invicem dignoscere possent, in corporis superficiem acutis instrumentis figuras infodiebant. Hoc modo facile fieri poterat, ut incisiones cuti applicatae fortuito locos dolentes tangerent, et dolores levarent. Quae quum ita essent, non mirandum est, homines hunc casum fortuitum esse imitatos et hanc operationem in similibus morbis consulto adhibuisse. Jam vero magis exculta hominum vita hunc morem bellicum oblivioni tradidit et acupunctura, quum non semper successus spei conceptae prorsus satisfaceret, a reliquis nationibus relicta est, a Sinensibus vero et Japonibus majorum inprimis vestigia prementibus pie et sancte servatur et vel hodie exercetur.“

Novissimae notationes atque illustrationes de rebus Indicis et fortassis etiam de acupuncturae conditione utilissimae exspectandae sunt a Morisone, medico Anglico, qui nuperrime, per XVII annos in istis regionibus Orientalibus commoratus, cum largo notitiarum observationumque collectarum thesauro Londinum rediit.

Acupunctura Europaeorum.

Artis medicae inter nostrates ea est hodie conditio isque cum cultorum illius numerus tum studiorum fervor, ut medica-

men, quod acupunctura offert, diu neglectum haud iri, facile posset praesciri, simulac a Berliozio accuratior hujus rei cognitio inter medicos Europaeos sparsa fuerat. Hic vir observationibus et experimentis operationem nostram exploravit, ideoque eam ipsam facile exsequendam, parum dolentem ac plerumque vim tam promte exserentem declaravit, ut, simul ac ad linearum aliquot altitudinem immissa sit acus, affectus morbosi vel mitigarentur vel plane tollerentur, quanquam interdum accidat, ut repetenda sit operatio ejusque repetitione dolor celeriter translocatus tanquam propelli debeat.

De materie acuum non consentiunt medici; Berliozius ac plerique in Gallia artem salutarem exercentes e chalybe (materie apud nos usitatissima) fabrefactis utuntur: alii, praecepta inventorum sequentes, argenteas et aureas adhibent, sperantes, fore, ut hisce metallis ductilioribus dolor ipse forsitan leniatur *). Utut sit, ante omnia necesse est, ut acus

1. sit recta, 2. acutissima et tenuis (quo expeditius intromitti possit), 3. haud mollis sed renitens, 4. rotunda, 5. perpolita, 6. justa longitudine **), 7. manubrio cochleae formam referente.

Demoursius apparatum invenit peculiarem et, ut mihi quidem videtur, nimis artificiosum, ubi cuti cucurbitula vitrea, tubulo aerem sugente praedita imponitur (sperat Drmoursius, fore, ut hac aeris suctione integumentorum communium sensibilitas diminuatur) hujus igitur instrumenti pneumatici auxilio inventor aerem reddit

---

*) Confer. Charbonier l. l. p. 37.

**) Quatuor pollicum una cum manubrio: equidem utor illis a Sabatiero descriptis et ab Henryo delineatis, manubrio cochleatim contorto et supra annulo instructis, vid. Tab. adject. Fig. VI.

tenuiorem cutemque elevat, quo facto acum in pistillo instrumenti latentem cuti repente et fortiter immittit (vid. Fig. V. Tab. nostrae).

Cloquetius et Sarlandierus adhibent acus aureas, argenteas et e platina formatas, annulo ad recipiendum conductorem praeditas. Churchillius punctionem ipsam ita docet: acus manubrium intra pollicem indicemque dextrae receptum, cuspide vero cuti partem affectam vestienti imposita leniterque impressa, inter digitos convolvitur, quo acus illa pedetentim penetret et contorsione ista continuata in quamlibet descendat profunditatem: medicus subinde acum retinet et ex aegro quaerit, num se relevatum sentiat nec ne? — Restet acicula ad decimam circiter usque horae partem.

Extendit Cloquetius sinistra cutem partis pungendae prius, quam acum dextra verticali directione infigit, dein in obliqua profundius descendens, ad quamnam quidem profunditatem? organi structura, situs, doloris latex significat: sed consultius aestimat ille medicus locum affectum non penitus perforare, quod prae caeteris valet de musculis affectione rheumatica correptis.

Sarlandierus et Charbonierus*) rationem jam supra enarratam sequuntur i. e. plicam conformant, qualis maxime requiritur, ubi cutem oblique transfodere cupiunt v. c. in regione temporali, frontali e. s. p.

Acum in partem dolentem defixam leniter teneas, nec ejus capiti digitum imponas, quod si feceris, dolores temere exacerbabis, sicuti Michaelis, Berolinensis insignis medicus, e propria in semet ipso instituta experientia edoctus monet. Qui primus (quod

*) l. l. p. 41.

equidem sciam) Germanorum acupuncturae susceptae observationes promulgavit.

In universum semper respiciendum est ad cutis sive mollitiem sive tenuitatem, deinde ad ejus vel laxitatem vel rigiditatem vel denique elasticitatem, nec non ad loca, quibus *aciculam infigere* cupimus. Manus dexteritas cuspidis impositionem atque cutis perforationem, repentina quidem, sed non saeva immissione uno temporis momento apte facileque poterit perficere; ac profundior instrumenti immissio multo minores affert dolores, quam cutis laesio, quae, quod notissimum est, in qualibet fere operatione summos aegroto parit cruciatus.

Equidem in me ipso aeque ac in aliis non semel tantummodo in statu sano ad pollicis altitudinem feci punctionem, ut nimirum, priusquam in aegris eam adhiberem, ipsa experientia essem edoctus, quomodo eam ferrent sani; sed fere ne levissimum quidem sensi, nec ab aliis sentiri vidi dolorem, qui tantum de leviore ictu cum pressu peculiari conjuncto quererentur: caeteroquin nec inflammationis nec tumoris ne titillationis quidem vestigium observavi, raro guttularum aliquot sanguinis effluvium; quin adeo in aegrotis quoque, etiamsi acum ad trium fere usque pollicum profunditatem demiseram, ad summum plerumque, leve puncturae vestigium in conspectum venit pulicis ictui haud dissimile; qua in re consentiunt omnes observatores, uti Berliozius, Haimius, Cloquetius, Pelletanius aliique.

Bene tamen notandum est, laudatam hanc doloris in ista operatione vel exiguitatem vel absentiam, solummodo locum habere, quum punctio in partibus corporis sanis et integris exercetur. Nam in organis vehementi et acerbo dolore vexatis, pars puncta saepius velut igne laesa dolet ac male habet aegrotum. De qua re

legantur LACROIXII *) historiae et observationes II^{da}, III^{tia}, VI^{ta}, VII^{ma}; idem vero ipse ego quoque in aegrota haud nimis sensibili observavi.

Plerumque autem vel illico cedit dolor, vel paullo post acus insertionem vel certe sensim sensimque decrescit. PELLETANIUS se nunquam ante horae quadrantem, vel adeo pluribus horis demum praeterlapsis, dolorem fugere vidisse, idque primum ab externis nervorum finibus, serius autem et paullatim versus eorum truncos fieri contendit.

Haud raro accidit, ut immissa acicula torpore (*engourdissement* Gallorum) corripiatur membrum aegrotum, ac praesertim quidem in truncorum decursu nervorum, quae affectio plerumque sentitur, quam diu insita remanet acus, interdum etiam vel remota illa. Porro nonnunquam apparet in cutis superficie circum acum inflictam *areola erysipelatosa*, modo duos, modo tres pollices in diametro tenens vel orbiculari vel varia forma, adeoque striata: haec vero areola non spectat, auctore PELLETANIO, ad dolores, quos acus excitat, locales, atque adeo absque doloribus adesse et in vehementissimis deesse potest. Interdum etiam erythema leve stigmata cingens occurrit, quod vero ad affectionem topicam non referri posse videtur. Praeterea sudor observatus est in loco puncto. Equidem ipse convulsivas animadverti contractiones circum acus vulnusculum, vibrationibus illis panniculi carnosi non impares, quibus equi apes vel crabrones pungere minitantes, depellere conantur. Interdum syncopen secutam esse nonnulli scriptores testantur, sed raro tantummodo. Caeteroquin omnia enumerata phae-

*) Journal universel. Tom. XXXVIII. 114me Cah. Juin 1825.

nomena momentanea sunt: anxietatis ac debilitatis sensus saepe quidem inserta acu sentitur, sed mox transit.

Ictus ipsius altitudo ad morbi sedem et prae caeteris ad cujuscunque loci conditionem accomodari debet: nullae leges certae et distinctae praescribendae sunt, nisi ut nervos majores, vasa sanguifera, tendines e. s. p. evites, quam tamen violationem non semper detrimento esse, demonstravit quidem Beclardius in commentario suo *) experimentis in animalibus antea institutis; nihilominus providus et circumspectus medicus in viscerum, arteriarum, venarum, nervorum e. s. p. vicinitate summam adhibebit in pungendo moderationem, quia ipsi persuasissimum est, inflammationibus, aneurysmatibus, neuralgiis et morti adeo ipsi **), temeritate quadam commissa, ansam posse praeberi.

Medici Europaei pungere solent ad pollicis vel pollicis cum dimidio altitudinem, profundius tamen etiam in partibus carne abundantibus et in morbis vehementioribus, quod tamen ubi faciunt, necesse est, ut, qua utuntur, acus sit tenuissima.

Ab initio medici acum secundum inventorum praecepta per brevissimum solummodo tempus in membro compuncto retinuerunt; Beclardius trigesimam, Berliozius duodecimam horae partem indicavit. Alii quoque retraxerunt, ut paullo post denuo infligerent, acum, vel etiam immissam in carne reliquerunt, donec sublevaretur aegrotus, qua quidem ratione in recentioribus experimentis prae caeteris Cloquetius persuasum sibi habuit, hac acus in partibus mollibus commoratione, quam, ad dies extensam, *acupuncturam persistentem* vocat, majorem exerceri

---

*) Sur l'innocuité de la piqûre de vaisseaux.

**) Confer. Dictionnaire de Médecine. Tom. I. pag. 335.

vim, et huic agendi rationi effectorum secundorum summam tribuendam esse censuit. Pelletanius quidem cum ipso consentit, morae tamen tempus ad horas tantummodo revocat.

Haud raro repetenda est operatio, quia subinde accidit, ut una quidem punctio dolorem depellat, eodem tamen diebus paucis post iterum exorto, etiamsi minore cum cruciatu, acupuncturae iteratio maxime fiat necessaria.

Acus extractio semper affert quendam dolorem, quoniam cutis arcte se applicat acui et quasi inhaeret, quod eo magis locum habet, quo diutius in vulnere restiterat, inprimis quando e chalybe est fabrefacta acus, cujus laevitas ferrugine exstinguitur. Ad mitigandam hujus doloris acerbitatem equidem consultius habeo, acum eodem modo, quo intromittebatur, i. e. contorquendo quoque retrahere cuticulamque levatam comprimere.

Quae modo de immissione, commoratione et extractione unius acus commemorata sunt, eadem valent de pluribus. Raro Churchillius plures acus una vice se inseruisse narrat, quia plurium immissionem vix efficaciorem censet; deflectit tamen de hac regula, si acuum vi dolor fugatur, et in alium locum transit, (quod signum faustum putat) ubi insertio plurium acuum in illas partes, in quas dolor se receperat, maximum attulit fructum. Si malum in variis corporis organis, nervis inter sese arctius conjunctis sedem habet, vel si morbus varios musculos variaque loca percurrit, plures immittit Churchillius acus simul, prout ipsi singulae partes inter sese connexae esse videntur.

Ex his autem omnibus recte colligitur, ubique attendendum esse cum ad affectionis extensionem vel majorem vel minorem, tum ad doloris vehementiam, nec non ad organi correpti conditionem, quo intelligat medicus, quid consilii sit capiendum,

utrum una acus an plures et quot immittendae sunt, utrum in una immissione acquiescendum an ad illius repetitionem confugiendum.

Quando acubus utimur chalybeis, saepius color earum post breve tempus in caeruleum transit, quam coloris mutationem nonnulli a materiei galvanicae efficacia proficisci sibi finxerunt, alii autem hoc phaenomenon a simplici oxydatione solummodo pendere docent, quorum quidem sententia praeferenda videtur.

Ut certi quid ipsis constaret de eo, quousque acus cuti sine detrimento possit intromitti, varii Gallorum medici ante omnia in animalibus pericula instituerunt. Perforavit Bretonneauius *) cerebrum ac cerebellum in VI catulis, quorum III incolumes restiterunt, reliqui convulsionibus correpti sunt; simili modo *trium* corda transfodit absque ullis vestigiis periculosis, *quartus* vero protinus necatus sanguinem ostendit in pericardio effusum, *quintus* tam fortiter reluctatus est, ut ipsi parceretur, *sextus* omnem se movendi facultatem amisit, et sectione instituta, una cum corde transfixo medullam spinalem simul acu laesam fuisse, intellectum est.

Velpeauius, quum acum in cor canis robusti ad sex pollicum altitudinem introduxisset, sine dubio circulationis organon plane transfixerat, cordis enim pulsus acum movebant.

Meyranxius regionem epigastricam, jecur, nec non pulmones plus minusve profunde acu pupugit absque ullo damno gravi. — Idem fecere Haimius et Beclardius, quorum posterior et in hominibus vasa grandiora nervosque sine ulla jactura perforari posse docuit, quod Segalas d'Etcheparius **) novis experimentis comprobavit.

---

*) Archives générales Tom. VII. Février 1824. Journ. univers. des Scienc. méd. Tom. XIII. p. 35. perforavit Bretonneauius arterias, stomachum, uterum etc. sine symptomate letifero.

**) v. *Froriep*, *Notiz. a. d. Geb. d. Nat. u. Heilkde. Bd. X. S.* 16.

Berliozius *), quum ob acupuncturam in abdominalibus organis factam, audaciae accusaretur a *facultate medica*, sese excusaturus haec protulit: ventriculi viscerumque laesiones non tam perniciosas esse, quam vulgo crederetur; Japones enim jam olim saepius observasse, vulnera in ruminantibus animalibus acus triquetrae vel adeo scalpelli ope ipsi ventriculo inflicta, ut gasa in eo retenta facilius excedere possent, absque ulla fuisse noxa **); plagas instrumentis secantibus hominum adeo ventriculo illatas, nullum intulisse detrimentum ***), quid ergo sit metuendum de simplici punctione? Saepius, pergit idem: quum secantia tum pungentia fortuito devorari sine ingenti incommodo ****). Roussetius et Petrus Loweus perforarunt viscera intumida et distenta, ut in statum normalem redigerentur, qui modus agendi a celebri chirurgo commendatur †). — Camperus puncturam exercuit maximo cum fructu in utero hydropico ††).

Eodem modo videmus paracenthesin abdominis in ascite, punctionem vesicae urinariae in summa stranguria, thoracis in empyemate, nec non scroti in hydrocele, vel adeo oculi in destruenda ac dislocanda cataracta, quemadmodum in pupulae artificialis conformatione sine ingenti incommodo perferri: taceo perforationem labiorum in consuendo labio leporino, sicuti cutis in

---

*) confer. ejus commentar. l. p. 304-7.

**) Vitet médecine vétérinaire. Tom. II. p. 65.

***) Mémoires de l'académie de chirurgie. Tom. I. p. 472- 591.

****) Nouvelle doctrine chirurgicale par Léveillé. Tom. III. p. 126 sqq. Mémoires de la Société médicale d'émulation, Ve année, p. 181. p. M. Sylvi. — Bulletin des Sciences médicales 1810. — Ephémérides des curieux de la nature etc.

†) Sabatier, méd. opérat. Tom. I. p. 11.

††) Mémoires de la Société royale de Médecine de Paris. Année 1748. p. 21.

setaceo applicando. — Lamsweerdeus *) docet: „quum intestina flatibus distenduntur, qui debitam manuum operam impediant, acu perforari cum commodo ilea, ut flatus ille avolet." — Similem operationem instituit Mothius **) cum fructu in tympanite intestinali.

Contendit Haimius ***), se saepenumero tam alte introduxisse acum in humanum abdomen, ut ventriculum ipsum certo pupugisse putaret, idque non magis noxium fuisse, quam si perforasset partes simplices.

Bretonneauius, quum aliquando hoc remedio usus esset, sanguinis profluvium post puncturam arteriae secutum, simplici compressione suppressum esse, memoriae prodidit.

In quibusnam morbis acupunctura salubris reperta fuerit, exponitur.

Experimenta medicorum proborum et veritatis studiosorum in se ipsis instituta, ideoque certissima ac fide dignissima, primum occupent locum.

Scottius ****), qui in India orientali diu versatus est (uti jam antea commemoravimus), primus exercuit in Britannia acupuncturam, dum se ipsum acu pungi ab Jukesio, collega, jussit.

---

*) In append. armament. chirurg. Sculteti, tractat. de Hernia.

**) Mélanges de chirurgie et médecine p. 411.

***) Journal univers. Tom. XIII. p. 35.

****) Hoc Scottii institutum, probabiliter originem praebuit rumori in Gallia sparso, Sinicum medicum nuperrime acupuncturam exercuisse in Britannia, cujus mentionem fecit Pelletanius in comment. suo.

Ex refrigerio nempe aegrotans lumborum dolorem, (omni febre absente) perpessus est tam vehementem, ut lectulo affixus se vertere non valeret atque ipsa respiratio augeret dolores: spasmus non solum musculos dorsales sed etiam pectorales atque abdominales sympathice occupaverat. Inter secundam vertebram lumbarem et musculum dorsi latissimum dextri lateris, ubi sedem mali esse sentiebat, imponebatur cucurbitula; acus ad pollicem intromissa, in aegroto sensum e *cuspide* exeuntem excitaverat, veluti metallico stylo electrica ex corpore quodam eliceretur scintilla, ad sexagesimam horae circiter partem durantem: tunc subito invasit dolor iliacam dextram regionem, in dorso leve tantummodo vestigium relinquens; hac ratione morbus aliorsum translatus acubus undique agitatus, et mox plane fugatus est.

Pajotius *) refert: quum nostris temporibus plures medici acupuncturam respicere incipiant, fortassis non despicienda erit mea in me ipso instituta observatio.

„Mense Decembri ai. 1820 nunc frigido nunc tepido, horis matutinis quondam dolor acerbus sinistrum meum invasit humerum: balneum adhibitum nullum attulit levamen, sanguisugas postea XV applicui, sed tantum abfuit, ut me relevarent, ut dolor protinus in totum brachium diffunderetur, cum levi totius membri torpore conjunctus, quem a nervuli cujusdam laesione deducendum esse credidi; caeteroquin quum post sanguinis detractionem sic satis mediocriter me haberem, hanc irritationem cataplasmatibus emollientibus narcoticis brevi placatum iri speravi: sed spes me fefellit. Post paucos dies iterum in brachio, praecipue in antibrachio, dolores accesserunt pungentes: omnibus nunc remediis anti-

*) Archives générales etc. Avril, 1825. p. 562.

phlogisticis, antispasmodicis, revulsivis aliisque frustra adhibitis, et doloribus ita accrescentibus, ut ad summum adscenderent fastigium, scriptores tandem de neuralgiis agentes, consulendos putavi. Postremo in manus mihi pervenit opus Fizeauii Profess., cujus eam partem, quae de acupunctura agit, legi, eamque statim adhibere constitui: elegi acum tenuem, grandiorem, quam lente convolvendo in locum vexatum demisi ad sex, septemve linearum altitudinem: post nonnulla momenta tarde eam retraxi; levatio protinus exorta me impulit, ut bis repeterem hanc operationem, cujus talis erat effectus, ut pro sanato me habuissem, nisi postridie mane denuo comparuissent dolores, sed vere mitigati; ad remedium hesternum statim confugere non haesitavi; denuo tres feci punctiones et sic quovis die postero leviusculam hanc operationem continuavi, donec plane evanuissent cruciatus: ita per quatuor annos continuos ab hoc morbi genere ne semel quidem sum correptus."

Michaelis, *) medicus Berolinensis, cujus jamjam mentionem fecimus, haec refert: „Ego quoque expertus sum acupuncturae repentinos certosque effectus. Laboravi equidem medio mens. Septembri h. ai. rheumaticis pedis sinistri doloribus vehementibus: morbus occupaverat praecipue musculos lateris externi a trochantere majori ad suras usque. Quaevis pedis motio, sessio cum genu flexo, ante omnia vero contorsio membri in cubando dolores attulit novos, febris abfuit. Postquam dolor per aliquot dies increscenti vehementia saeviisset, aliquando horis matutinis in lectulo mihi jacenti acum in trochanteris magni regionem ad dimidium pollicem introduxi, eam per decimam horae partem retinui, tunc retroduxi, ac surae per idem temporis spatium applicui.

*) vid. *Gräfe und v. Walther Journal etc. Bd. VIII. Hft. 2.*

Eodem, quo removi acum, momento, dolor velut incantatus cessit, torporem tantum quasi membri per breve tempus relinquens. Acus immissio in partem dolentem, addit auctor, valde doluit, tanquam carbo candens loco laeso adhaereret; non ita multo post autem sentire mihi visus sum dolorem toto membro versus locum punctum tendere, ibi sese contrahere et exemta acu evanescere.

Me ipsum aliquando horis pomeridianis improviso infestavit dolor gravis pollicis dextrae manus, tanto cum languore totius brachii conjunctus, ut librum, quem legi, e manu dimittere essem coactus. Quum jam antea hujus doloris indolem aeque ac acupunctionis efficacitatem in aliis similibus malis cognovissem, iterum ad hoc remedium confugi. At vero quum acus ad consuendum non statim esset ad manus, acum communem premendo per cutim transfigere tentavi, repente omnis evanuit dolor; sed acus nimis conica et crassa vix penetraverat epidermidem: compressio illa subtilissima et arctissimo spatio circumscripta et conclusa, fortassis in ipsum nervum pollicis, (quem a ramo superficiali nervi mediani accipit), irritaverat hunc, eoque modo dolorem subito suppresserat. Nam illico rediit eadem vehementia: nunc acum e chalybe tenuissimam et acutissimam infigebam ad tres circiter lineas, (majorem altitudinem vix concedit in hoc loco manus carnosissima), retinebam eandem ad vigesimam horae partem, antequam extraxi: dolor, quanquam acum in idem vulnusculum inserui, non ita celeriter, ut antea decessit, sed pedetentim remittens dimidia hora post plane evanuit nec unquam rediit.

Haesitassem sane, has meas qualescunque observationes, haud dubie levissimas, addere, nisi certissimus essem, pericula medici in se ipso instituta, gravissimi esse momenti et ad rem demonstrandam aptissima.

Nunc ad brevem morborum, in quibus curandis potissimum in usum vocata est acupunctio, enumerationem accedere licet.

In *cephalalgia* et *hemicrania* a Cloquetio, Ballyo aliisque Galliae medicis commendatur, praecipue in illa, quae sedem transmutare solet. Parum autem recte faciunt, qui eam adhibendam censent, in ea, quae symptomatice a morbis vel cerebri, vel meningum, vel ossium cranium conformantium, pendet.

In *prosopalgia*, commendantibus Harlessio *) et Mas. Goodio **), efficacissima habetur, quam commendationem secutus ego ipse hanc operationem adhibui in sene sexagenario, acerbissimis doloribus in dextra gena et regione supra-orbitali cruciato: infixi quidem acum prope alam nasi dextram ***) ad linearum aliquot usque altitudinem, eamque per sextam horae partem circiter retinui. In ipsa instrumenti immissione dolor plane erat sublatus, rediit autem post immissionem, at multo lenior, remota acu dolor in regione supra-orbitali factus est vehementior. Post meridiem mihi affirmavit aeger, dolorem *magna ex parte* esse minutum, loquela tamen propter necessarium musculorum motum adhuc erat difficilis. — *Altero die* acum ad tertiam pollicis partem in regionem frontalem oblique sub cutem induxi, et dolor inter ipsum pungendi laborem illico evanuit, iterum excitatus in loco priori postulavit alteram acum, quae tamen ad decimum horae partem in vulnere commorata parum effecit. — *Tertio die* vultus aegroti tranquillior, minus morosus et tristis apparuit; rogatus, num levatum se sentiret, confirmavit se, longiori hujus operationis usu dolorem fugari posse, sperare: dormivit senex, et per

*) *Rhein. Westphäl. Jahrbb. Bd. IX. etc.*

**) Study of medicine Vol. IV, 296.

***) Sedem quidem habere morbus videbatur primariam in ramo infra-orbitali paris Vti.

horam nullos sensit cruciatus vel in vehementissima, quae semper malum auxerat, tussi, acus in fronte restitit duos circiter horas; difficulter retracta, ferrugine erat obducta, extractio instrumenti semper ingentem attulit dolorem, immissio leniorem tantummodo; caeteroquin dolor, cujus causa pupugeram per dimidiam horam, acquievit. Areola illa commemorata fere semper apparuit, exemta acu vero evanuit.

Die IVto et Vto intermisi punctionem, ut ejus effectum nunc observarem; mali conditio in universum paullo melior reddita concessit aegro loquelam liberiorem, vultus antea tristis et acerbus, in tranquilliorem mutatus, dolorem minutum esse indicavit, somnus quietior est factus. — Desiderium aegroti ipsius acre et Pelletanii effatum: acupunctura per plures dies continuata, affectiones vel pertinaces sanari omnino posse, etiamsi ab initio non insigniter molliri videantur, me ad continuationem impulerunt.

Postridie in regionem nervi facialis ad quartam pollicis partem acum injicio, eandemque per tres horas cum dimidia ibidem relinquo, per quod tempus aegrotus, ab omni dolore liberatus, tantummodo vexari se dicit sensatione peculiari illius jam commemorati torporis; exemta acu leves sentit dolores in alveolo, in humero, ac in scapula. Interdum conqueritur de electrica quadam sensatione, quae, si extremis digitis faciei partem aegrotam tangit, in dolorem mutatur lancinantem. Acus ferrugine obducta difficulter et cum doloribus retrahitur.

Hic obiter commemoro, in acu, si cuspide non utrumque parietem cutis in plicam conformatae perforet, sed altero tantum transfixo intra hanc restet, majorem inesse vim, ut quasi electrico modo agere, magisque incitare, mihi certe visum sit.

Die VII^mo^ dolores mitigati quidem sunt, sed suffocativa tussi, qua senex laborat, redeunt quidem, minori tamen vehementia in frontali regione acriores quam in gena; acus ad tres pollices quadrantes intrat ibique ad IV horas usque remanet, dolores, quotiescunque acum in cute retineo, silent placati. Sic per XIV dies cum impari successu aegrotum curavi; acum ad duorum fere pollicum altitudinem introduxi, et per VII horarum tempus ibidem reliqui.

Contigit mihi quidem, ut vehementiam morbi frangerem, sed prorsus eum e medio tollere nec conditio aegroti nec rerum externarum ratio permiserunt; neque vero etiam hoc speraveram ab initio, partim quoniam malum tanquam sympathicum a radice dentis canini in alveolo obliterato relicta pendere videbatur, partim quoniam miser cum senectute tum diuturno morbo, inprimis tussi illa commemorata confectus exiguam tantummodo spem sanationis mihi offerebat.

Observavi in curationis decursu post acum amotam, haemorrhogiam non plane exiguam, quam modo sedatam tumor parvus insecutus est; porro sensit aegrotus interdum in tota faciei superficie calorem peculiarem, naturae electricae non dissimilem, areola saepe apparuit, acus ferrugine semper obducta in conspectum venit.

In *ophthalmia* probavit DEMOURSIUS, ocularius ille medicus celeberrimus, acupuncturae fructum, et se vel V vel VI punctionibus intra fibras musculi supraspinati institutis *amaurosin* *) ipsam, nec non *ophthalmiam chronicam* cum *opacitate corneae* et *caecitate completa* **) conjunctam, nunc sui ipsius ap-

*) Journal géneral de médecine. Vol. XV. p. 107.

**) Journ. univers. Tom. XXXVIII. Avril et Mai. p. 105.

paratus jam antea descripti ope, nunc acubus, illis pro setaceo inducendo similibus, et in temporibus adhibitis sanavisse retulit.

Cloquetius et Hussonius*) similia enarraverunt in conventu societatis medicae Parisinae exempla.

In *trismo*, a laesione externa pendenti, in usum vocavit acupuncturam Finchius, chirurgus hospitii Greenwichensis; spasmus musculorum faciei dextri lateris acui in masseterem dextrum infixae cessit, tum et sinistrae parti acus adacta pariter sustulit contractiones. Aeger os aperire et medicamentis praescriptis uti mox valuit.

In *odontalgia* ego ipse acupuncturae utilitatem observavi, acum ad aliquot linearum altitudinem masseteri lateris vexati immittendo; dentium dolores antea vehementissimi eodem momento, quo acum immittebam, et quam diu, eam ibi relinquebam (ad duodecimam horae partem) prorsus fugati, extracta ea rediere quidem, brevi tamen tempore penitus discesserunt.

Rheumaticos dolores musculorum cervicalium sustulit Cloquetius in puero XV annorum, acum ad pollicis altitudinem injiciendo.

Rheumatismum vagum musculos respirationi inservientes occupantem, ita ut aeger absque vehementissimo cruciatu se movere vel adeo profunde inspirare et demum tussire non valeret, cum expectoratione plane fere suppressa, statim sanatum ex integro per acupuncturam, musculosque pristinam se movendi libertatem hac operatione accepisse, affirmat Berliozius**). — Conferas quaeso porro de rheumatismo vago, collum, pectus, bra-

---

*) Revue méd. franç. et étrang. Mars 1825.

**) l. l. p. 308.

chia, tergum et coxam invadente CHURCHILLII *) commentariolum — de rheumatismo chronico LACROIXII relationes inspiciantur **).

De *neuralgia brachiali* post hirudinum applicationem exorta ac puncturae beneficio sanata, jam excitavimus PAJOTIUM. — De simili morbo post phlebotomiam eodem remedio sublato refert diarium medicum physicum et medicum Londinense ***).

In *contusionibus sine ecchymosi*, acum BERLIOZIUS applicavit cum fructu, pari modo hoc instrumentum in illis *cum ecchymosi* et *sputis cruentis* conjunctis felici eventu adhibitam fuisse, tradit MORANDIUS.

Ipsis in *luxationibus* cum successu punctura instituta est in nosocomio Parisino, quod a pietate nomen accepit, *Hôtel de Pitié* ****).

Pleurae affectionibus charactere inflammatorio non insigni conjunctis vel statu inflammatorio jam remoto, quando dolores adhuc supersunt, eandem opem tulit acupunctio †).

In *pericardii inflammatione chronica*, tres acus sub sinistram infigebantur mammam, referente MEYRANXIO, ad dimidium pollicem; circa unamquamque exorta est areola distincta; aegri vultus in operatione ipsa pallidus factus anxietatem incredibilem ostendit, pulsus parvus ac debilis. Metuendum erat ne syncope vel aliae nervorum affectiones accederent. Jam in eo erat MEYRANXIUS (sub auspiciis BALLYI), ut acum retraheret, quum

*) l. l. observat. IVta confer. *v. Froriep Notizen Bd. V. p.* 43.

**) Journ. univers. Tom. XVIII.

***) London med. and physic. Journ. 1825.

****) Confr. Meyranxius l. l.

†) Revue médicale franç. et étrang. IIe année 1825, depromtum ex Athénée de médec., Juill. 1825.

aeger, se levamen sentire sibique acum (ipsis aegroti verbis haec se dicere affirmat) — voluptatem afferre, contenderet; infixae igitur restabant acus per horam cum dimidia, aegrotus valde levatus altero die repetitionem ipse postulavit operationis.

Beclardius, qui, quum Ballyus aegrotum visitaret, simul aderat, ipsemet injecit IV acus regioni praecordiali, quorum una ad pulmonem sinistrum usque penetravit, quod organon, imo fortassis pericardium ipsum tactum esse e motu duplicato, quo acus simul cum cordis pulsatione commovebatur, nec non e dolore singulari, quem in inspiratione incusabat aegrotus, cognosci potuit. Immissa restabat haec acus per horae tantum quadrantem. Iterata hac acupunctione aeger non aeque levatus est, ac prima vice, neque talem applicandi methodum denuo adhiberi cupiebat. Quum excederet hospitio, libere confessus est Ballyo: dolores acupunctura valde tolerabiliores esse redditos, seriorum autem acuum unam tantam sibi adtulisse molestiam, ut iterationem operationis recusasset.

Tussi convulsivae vehementi ac *doloribus in regione epigastrica,* caeteris omnibus medicaminibus resistentibus, medebatur acus beneficio Berliozius, eam introducendo in praedictam regionem, ita ut ventriculi tunicas illa penetratas opinaretur.

Item *singultum nervosum,* quo puella XXIV annos habens per sex menses laboraverat, sanavit Haimius*) acupuncturae ope in medio epigastrio institutae ad XII-XV^{ve} linearum altitudinem, aliosque accedentes motus spasticos aliis in locis superpervenientes tam diu pungendo, donec ex toto corpore cedebat malum.

*) Journ. univers. Tom. XIII. etc.

Pipelet *) pari modo in *morbo convulsivo pertinaci* fructum observavit nostri medicaminis, affectiones mox penitus tollentis, mox tantum mitigantis.

In *cardialgia* hanc medendi methodum se efficacem ostendisse, refert Bretonneauius.

Contra *acerbos cruciatus lumborum, inguinalis regionis* et *matricis*, quos duae mulieres perpetiebantur, acupuncturam cum utilitate adhibuit Recamierus, (qui praeterea multos aegrotos in nosodochio illo celeberrimo Parisino, quod *Hôtel de Dieu* vocatur, hujus remedii beneficio curavit) dum ad vaginae latus acus ingessit.

Ad *provocandos menses* plus integro anno jam suppressos in puella XXVIII annorum, acuum immissionem instituit Ritterichius, Medicus ocularius Lipsiensis praeclarus atque receptaculi sanandis egenis, oculorum morbis laborantibus instituti Praeses. Alteram quippe acum infixit in fossam navicularem, alteram in singulum labium internum, ambae cum vagina parallelae infixae, per quatuor horas et amplius restiterunt; ad vesperam fluxus menstrualis, sane mancus, apparuit. — Acus valde aeruginosae factae ne ullum quidem sanguinis emissi vestigium reliquerant.

Rheumatismo feminae gracilis, ad sanguinis sputa proclivis, in latere dorsi sinistro superiori latenti acuum ope medebatur Michaelis. Primum post acum introductam dolor in alterutram descendit coxam, sed quum hic quoque acubus illum prosequeretur, prorsus tandem evasit morbus.

---

*) Vid. Pipelet l. l. cf. Journ. complém. T. XVI. Cah. 62e. p. 186.

Exempla saluberrimae acupuncturae in *lumbagine*, sicuti in aliis *neuralgiis* efficaciae, tam multa apud observatores obvia leguntur, ut praeter illa, quae Scottii et Michaelis narrationibus jam supra allatis insunt, unum tantum mea ipsius experientia observatum, plura enim proferre limites libelli academici vetant, adjicere sufficiat.

Ancilla viginti et aliquot annorum, jam per annum in nosodochio, quod Lipsiae est, *div.* Georgii, lectulo adfixa vehementissimis doloribus crurum et praeprimis cruris sinistri, refrigerio totius sinistri lateris admisso, jacebat cruciata. Quum prosopalgiae, acupuncturae ope mitigatae, illud exemplum, de quo paullo ante pluribus exposui, attentionem excitasset cum Heinrothii Exc., medici ad hoc nosocomium publici, per orbem literarium longe celeberrimi, tum Oetzmanni, protochirurgi dexterrimi, pro summa sua justis laudibus a me ornanda humanitate, hi viri experientissimi illius aegrotae curam mihi mandarunt, atque adeo in ea ejusdem methodi adhibendae concesserunt facultatem. Infixi d. XXV^mo^ mens. Februarii h. ai acum prope a trochantere magno ad pollicem unum; ab initio aegra accumulatos et ad genu usque lancinantes praecipue versus acum atque circa eam urentes cum irritatione totius membri conjunctos sensit dolores, pedetentim affectiones hae dolorosae remittunt, nondum vero dolores primitivi, proprii; aegra dolores placatos facile ferre visa est. Extremus digitus aqua salina imbutus atque acui leviter impositus, repentinum provocat dolorem, secundum puellam prorumpenti ex acu igni similem, quam ipsam cum ferro ductitio candente comparat aegra, magis magisque increscentem; neque tamen ego animadverti illum motum galvanicum, quem Pelletanius et praecipue

Cloquetius sensisse se referunt. Remoto digito dolor sensim sensimque decrescit iterum et ad illum priorem gradum mitigatum redit. Periculum iteratum ab amico praesente idem adducit phaenomenon, hic vero stimulo galvanico valde obnoxius, sentiebat adauctum in toto brachio calorem et repentinos ictus in cavitate axillari. Immissa manet acus per sextam horae partem, retractio difficilis multos affert dolores, sanguinis guttula eam concomitatur, exemta acu contractio illa cutis singularis, cujus jam supra (p. 26) mentionem fecimus, observatur. — *Altero die* paullulum remiserant vexationes; operationem omitto, quum aegrota paullo ante cibum sumserat. — *Tertio die*, acus, prope a priori loco puncto infixa, restat plus tribus horis intromissa. Increscunt ab initio dolores, tunc remittentes brevi iterum auctos participat quoque crus dextrum; doloris impatiens reddita aegra ac de salute desperans amplius negat se permissuram, ut acu pungatur. Facile exit acus, quod omnino fieri tunc observavi, si ferrugine larga erat obducta. — *Quarto die*, dolorem fere prorsus fugatum audio in crure sinistro, occupaverat contra axillam coxamque dextram; interrogata aegrota operationis applicationem in dextrum crus libenter concedit, acum in eundem quo in altero locum insero. Dolores animadvertit aegra adauctos pungentes pulsantesque, conqueritur se quasi igne acum circumdante uri; sequitur paullo post morbi remissio, acus dimidia hora praeterlapsa parum oxydata apparet.

Proximo die, dolores sedem (nunc vagi) collocaverant in genu sinistro, acum huc immissam oblique sub integumenta ad trium fere pollicum altitudinem aegre ferre videbatur puella, at-

que, quae est ingenii muliebris mutabilitas, obstinatissimo consilio continuandae acupuncturae ipsius votis non statim respondenti se subtraxit. — Attamen praeterlapsis septimanis aliquot ipsa, me ut se visitarem acumque denuo applicarem, rogari jussit, quippe conditio mali interea indies melior reddita spem sanationis in aegrotae animo novam excitaverat. Iterata frequenter operatione ita morbi malignitas pedetentim minuebatur, ut mox pedes, quod antea non valuerat, sponte movere atque adeo laetam nosocomio post breve tempus valedicendi spem concipere posset.

Ex omnibus hucusque commemoratis patet, acupunctionem prae caeteris efficacem reperiri:

1) in simplicibus nervorum affectionibus, ubi nulla sanguinis inflammatio sit nec vasa turgescant;

2) in neuralgiis praecipue membrorum extremorum, repente apparentibus, lancinantibus et pungentibus, semper in singuli nervi trunco vel ejus ramificatione insidentibus, ubi locus, quem invadunt, neque calidus, neque rubicundus vel tumidus est ac universae machinae functiones nunquam, saltem a morbi initio non sunt turbatae;

3) in affectionibus rheumaticis et arthriticis cum febre non conjunctis; auctore Churchillio tunc quoque, quum timendum sit, ne dolor per nervorum sensibilitatem nimie intensam inflammationem adducat;

4) in plerisque affectionibus, nisi gravis organi cujusdam perpessio simul locum habuerit.

Nullam vero adferre utilitatem videtur:

1) quando affectionem morbosam comitatur irritatio universa;

2) quando aegrotus robusta gaudet constitutione et organon aegrotans locum insignem obtinet in totius corporis oeconomia;

3) ubi dolores vel neuralgiae sese extendunt super magnam corporis superficiei partem, quid quod interdum ipsa provocet affectiones nervosas, si aegri, in quibus adhibetur, sint imbecilles ac sensibiles.

Quum autem ars medica nullum prorsus doceat medicamentum, quod nunquam spem fallat; nemo mirabitur, idem et de acupunctura esse confitendum. Illud tamen haud negari potest, inesse ipsi remedium, quod secundum magnam observationum copiam vel in pertinacissimis, summosque dolores afferentibus morbis, unicum fere praebeat levamen. Antecedit reliqua celeritate, facilitate ac praeprimis eo, quod in sedem mali ipsam irruere potest; unde conjectura a Berliozio jamjam pronunciata et ab Antonio Carraro *) in catulis felis aqua suffocatis, experimentis institutis, approbata, fieri nimirum posse, ut punctione cordis asphyctici fortassis vita adeo revocetur, unicam nanciscitur et eximiam auctoritatem.

Admodum variae fuerunt hominum doctorum sententiae de natura efficaciae et ratione salutis per acupuncturam restitutae; Berliozius v. c. opinatus est, eam vim suam exserere incitando nervos eisque vim nativam doloribus abolitam restituendo; Haimius, succi nervei stagnationem doloribus obortam tollendo iterumque succum illum liquidiorem reddendo; Pelletanius, depravatam illam vim emendando et in statum integrum redigendo; Cloquetius fluidi nervei vel galvanici nimium doloribus accumulati

*) vid. Antonio Carraro l. l. dans le Journ. univ. d. Sc. méd. T. XXXIX. Cah. 117. Sept. 1825.

derivationem adjuvando; Sarlandierius, fluidum illud electrica materie saturando; alii iique plurimi, in quibus etiam Vicq-d'Azyr, Sabatier etc., revulsionem efficiendo. Quas quidem accuratius illustrare ac, quantum quidem fieri poterit, inter sese comparare et componere in illo, cujus in praemonendis feci mentionem, libello animus est.

Hoc tamen praeterea addere liceat: acupuncturam, ex mea quidem sententia, esse habendam pro *remedio nervino singulari*, quod omnium solum in ipsum nervum dirigatur ejusque naturam et conditionem quodam irritante modo mutet, sive id fiat retardando actionem ejus incitatam vel retardatam incitando, sive addita cujusdam peculiaris irritamenti vi adjutrice, vel detracta. Id ipsum autem, quo demum modo contingat, non secus meliusque explicare valeo, quam qui docere instituerunt, quomodo fluidi electrici cujusdam, vel galvanici, vel electro-magnetici ope, vel etiam oxydationis in acu chalybeo conspicuae, (quae punctionis quidem vim ipsius non autem vim medicatricem auget, pariter uti nil facit oxydatio acus ad doloris diminutionem) — effectus therapeuticus ortus esse credendus sit.

Ceterum persuasum mihi habeo, illam adeo *electro-puncturam* a Sarlandierio commendatam, meae sententiae non esse adversam: — quod de saturatione nervi per materiem electricam dicunt, nimis concreta et quasi corporea mihi videtur sententia — non alio agere eam modo quam hoc, ut commotione in ipsis compagibus facta efficacitatem incitet et nervis, quasi potentissimis electricitatis in nostro corpore inhaerentis ductoribus, aliam eamque mutatam adferat directionem et motum. Hoc autem quum fortius et plenius perficiatur electro-puncturae beneficio, quisque

videt hanc exserere etiam majorem efficacitatem in nervorum paralysi, in qua nullum quidem exhibuit simplex acupunctura effectum.

Omnem autem qualemcunque hanc disquisitionem liceat coronidis loco finire verbis Platneri immortalis his:

„Nihil in decretis medicinae theoreticis verum est perpetuo ac semper, sed verum hoc tempore i. e. donec alia et meliora fuerimus edocti!“

Iconum descriptio in contextu libelli pag. 15, 16, 17 et alibi occurrit; reliqua indicantur cujusvis acus inscriptione. Hoc unum addendum puto; manubrium illud Fig. IV, e, quo SARLANDIERUS utitur, cum cochlea praeditum, vitreum esse, ad recipiendam acum *a* aptum, cylindrum *d* pariter esse e vitro vel etiam e corio confectum, vitreum quidem, ne manus artificis electricitate confringeretur.




Fig I. Acus et Malleolus ten Rhynii.
a.
b.
Fig II. Malleolus Kaempferi.
a.
b. Uuts barri.
c. Finéri barri.
d. Fuda barri.
Fig III. Acus Churchilli=ana.
Fig IV. Acus Sarlandieriana.
a.
b.
c.
e.
d.
Fig VI
Fig V. Acus Demoursiana.